Prognosticon vel Chria Monachis Mariae Eremitanae oblata An. 1546 men. Jul.

Est locus, à tenebris ~~cui~~ cui nomen fata dederunt,
Christiparae falsa relligione sacer.
Tecta tenent Monachi, immanis qb. additus Abbas
Multa sub inflato pectore monstra fovet.
Qui sua dum nuper peragunt pro Caesare vota
Ut Domini sanctos is dominisse queat.
Multa per angustum succendunt cerea templum,
Et reboant diris tecta per alta sonis.
En subito dirum medijs sese ingerit omen,
Quod sua cum templo festa prophana facit.
Nempe suum fugiens sansorem tramite verso
In medium templum foeda cucurrit equa.
Mox equus insequitur flagransque libidine scandit,
Et peragit foedum turpis amator opus.
Huc oculos Monachi, huc totas advertite mentes
Haec vestros mores picta tabella refert.
Sicut equus templum per stupra nefanda prophanat,
Elapsamque prius fervidus urget equam

Sic sacra et templum scelerata libido prophanat,
Quae modo ius vestri pectoris omne tenet.
Non vos foeminei tangit pia cura pudoris,
Nullus inest vobis virginitatis honor.
Quippe aras inter medias lucosque sacra
Saepe suum perdit rapta puella decus.
Quae si quis, Domini promens oracula, carpat,
Haereticos mox hunc dicitis esse virum.
~~Iamque tonat~~ Chartareoque tonat meretrix Babylonia telo
Et movet audaces Caesar in arma manus.
Quando igitur Domini vobis oracula sordent,
Cernite, qui vestra haec crimina pingit, equum.

Joanni Frysio suo.

Si meus in nostras coenatum Frysius aedes
Venerit, haud alius charior hospes erit.

Othoni Vuerdmullero suo.

Otho, domi qui nunc chara sine coniuge solus
In viduo ducis tempora longa thoro.
Ad meam venias oro sub vespere coenam
Cum vehit occiduum linea quinta diem.